

schisma ordinatum est inter Græcos, ut nullus baptizaret, dicens: Ego te baptizo in nomine Patris, &c. sed diceret: Baptizetur servus Christi in nomine Patris, &c. nullo modo verbis aliquibus ostenderet se baptismi auctorem, sed solum ministrum. Quod autem ibi sit integra baptismi forma, patet, quia ibi est manifesta Trinitatis expressio, ibi exprimitur actus baptizandi, quamvis in imperativo modo, quod non refert, & persona baptizata, quamvis in tertia persona: nihil ergo deficit. Non ergo propter hoc Græci judicantur hæretici, quia sic baptizant: sed quia sic baptizantes, credunt Latinos alia forma utentes, non conficere baptismum, & propter hoc hæretici judicantur, cum dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris, &c. omnia etiam ponantur ad debitam formam, & Christi verbis conformem necessaria. Et quia Græci hac occasione sicut & alii ab Ecclesiæ Romanæ obedientia separati sunt, ideo schismatici appellantur. Cæteram quod Alexander tertius hujus nominis Pontifex ait in cap. 1. titulo de Baptismo, & ejus effectu in libro epistol. Decretalium: Si quis puerum ter in aqua immerferit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen: & non dixerit: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non est puer baptizatus. Hoc mea sententia (salvo meliori judicio, & Ecclesiæ definitione seculæ, cui me semper submitto) ita intelligendum est, ut quantumlibet quis ter mergatur in aqua, non credatur baptizatus, etiam si talis immerfus sit facta in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nisi cum hoc etiam exprimat actus ipse baptismi in indicativo modo, sive in imperativo: de hoc non definit ibi Pontifex, quia nec de illa re quæstio ibi agebatur: ad quod maxime aspiciendum est: quoniam beatus Hilarius dicit ex circumstantia scripturarum pendere sententiam verum illarum sensum. Quod si illa essent omnino exacta, & necessaria, ut à Pontifice ibidem describuntur, esset etiam necessario illud pronomen Ego semper exprimendum, ut dicatur semper: Ego te baptizo in nomine Patris, &c. & tamen Glossa ibidem dixit, omissionem illius pronominis ego, nullo pacto obesse baptismum, quin verum baptismum conficiatur. Hoc idem colligitur ex quadam responsione Zachariæ Papæ, quæ ponitur in volumine Decretorum de Consec. dist. 4. cap. Retulerunt. Nam cuidam quærenti, an rebaptizandus esset, qui his verbis fuerat baptizatus, videlicet: Baptizo te in nomine patris, & filias, & spiritus sanctias: Papa respondet, quod si sic baptizans, hujusmodi verba protulit ex ignorantia linguæ latinæ, & non ut errorem aliquem per illa verba induceret, vere baptizavit: nec est iterato baptizandus ille sic ab eo baptizatus. Et tamen in illis verbis (ut constat) non ponitur illud pronomen ego: unde patet pronomen non esse necessarium, & hoc ipsum fatentur Theologi omnes. Dicimus ergo Græcos in sua forma conficere, quamvis sic conscienties peccent, quod Ecclesiæ Romanæ fuisse contemnunt. Nam hoc apertissime definit Concilium Florentinum sub Eugenio IV. celebratum, sic inquit: „ Non negamus quin, & per illa „ verba: Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, „ & Filii, & Spiritus Sancti: vel Baptizetur manibus „ meis talis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, „ ti, verum perficiatur baptismus: quoniam cum principiis „ palis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit sancta „ Trinitas, instrumentalis autem sit minister qui tradit „ exterius sacramentum: si exprimitur actus qui per ipsum exercetur ministrum cum Sanctæ Trinitatis invo-

„ catione, perficitur Sacramentum. “ Hæc Concilium Florentinum. Ostendimus ergo veram baptismi formam, & exactam, quam Christus docuit, quæ tam ex Evangelio, quam ex Canonibus Apostolorum patuit, in qua tria sunt necessaria, videlicet, verbum explicans actum baptizandi, & nomen exprimens personam baptizantem, & totius Trinitatis per propria personarum nomina expressio. Quod si vel minus horum desit, sicut nec est vera forma, ita nec verus baptismus. Ex quibus convincimus Marcitas, Paulianistas, Cataphryges in baptismum conficiendo errare. Quapropter merito Concilium Nicænum statuit eos cum ad Ecclesiæ fidem redirent, fore iterum baptizandos.

Tertia hæresis est, quæ respicit personam baptizantem. Sunt enim qui mortuos baptizant, & isti sunt Cataphryges, ut Phylaster ait. B. tamen Aug. in lib. de Hære. nihil tale illis impingit. Hi Cataphrygei, aut Cataphrygii, sic dicti sunt, quia ex Phrygia Provincia originem traxerunt. Horum auctores fuerunt Montanus, qui dixit se fuisse Patroclum, & dux ejus Prophetisæ, videlicet Pritæ, & Maximilla, quas ipse Montanus tamquam ex ipsius inspiratione factas jactabat. De quo qui plura noverere cupit, legat Eusebium in 5. lib. Ecclesiast. Historiæ, à cap. 15. usque ad 19. nec tamen toto illo sui operis decursu usquam hunc errorem illis impingit: quum tamen plures alios eorumdem errores recensent. Adversus hos Cataphrygas (ut ibidem Eusebius refert) scripserunt Apollinaris, Hierapolites, Melitades, Apollonius. Alia est hæresis huic similis, aut forte est eadem, quoniam de Cathaphrygiis Phylaster, dicens eos baptizare mortuos, non differit qualiter id faciebant. De Marcionitis autem, Theophylactus exponens illud 1. ad Cor. 15. *Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non surgunt?* sic ait: „ Mors est Marcionitis hæreticis, cum aliqui apud eos sine baptismum discesserit, ejus qui vita functus esset, fetetro vivum aliquem submittere hominem. Proinde fetetrum ipsi adeuntes, à mortuo sciscitantur, utrum ei libeat baptizari: moxque qualitatit vivus, de loco inferiori respondens, se velle, inquit, afferentemque demortui loco baptizabant. Hi itaque pravæ hujus consuetudinis insimulati, Apostolum dicunt eam rem innoxissimam, producantque dementes illi, & vesani id dictum, videlicet: *Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* “ Hæc Theophylactus. Quem ideo citavi, quod neminem ex his qui de hæresibus scripserunt, de hac re fecisse mentionem reperio. Phylaster siquidem & Augustinus, & Guido, quamvis de Marcione, ejusque erroribus differunt, nihil tamen hujusmodi illum sensisse referunt. Sed neque Eusebius, qui in 4. lib. Historiæ Ecclesiasticæ de illo scribit, unquam de hoc errore eum accusat. Neque etiam Tertulianus in libro de Hæresibus, Marcionis errores recensens, unquam hujus mentionem fecit. Denique Irenæus in lib. 1. Adversus Hæreses, cap. 29. & lib. 4. cap. 57. de erroribus Marcionis disputans, nihil tale illi impingit. Quapropter mirari non desino undenam Theophylactus, qui his post multa secula successit, accepit hunc Marcionis fuisse errorem. Verum si rem plenius circumspicimus, Theophylactus non ait hunc fuisse Marcionis errorem, sed Marcionitarum. At solenne est hæreticis, qui aliorum hæreticorum vestigijs adherent, ut nunquam suorum magistrorum erroribus sint contenti, sed semper illorum infaniam, aliquid impietatis addentes, augere nituntur.

tantur. Quapropter possibile fuit, ut Marcionis sectatores, erroribus illius hæresim conjungerent, atque ita primi illi scriptores de ea non fecerint mentionem. Theophylactus autem, qui posterior fuit, de Marcionitis hæc dixisse potuit, non tamen de Marcione. Cum ergo de Marcione fecerimus mentionem nunc operæ precium erit differere quis hic fuerit. Marcion (ut Irenæus & Tertulianus scribunt) Ponticus natione, temporibus Antonini Pii, prius in doctrina philosophorum, maxime Stoicorum, imbutus, deinde ad fidem Christi conversus, Cerdonis dogma secutus, multa ex philosophica doctrina Catholicæ Religionis inferere conabatur: Romamque veniens plures ibi seduxit. Hic cum ibidem Polycarpum postea martyrem invenisset, salutans eum, dixit: Agnoscis me? Cui Polycarpus: Agnosco primogenitum Satanz. Hic præter Evangelium Lucæ, idque ab eo circumcisum, nullum Evangelium recepit. Similiter & epistolas Pauli Apostoli abscondit, auferens ab eis quicquid suæ imperati repugnare videbatur. Contra hunc plures gravissimi auctores scripserunt, Dionysius Corinthiorum Episcopus, Philippus Cretensis, Hypolytus Episcopus Africanus, Rhodon Afianus, Irenæus Lugdunen. Episcopus, Tertullianus. E quibus hi duo ultimi (quod sciam) solum extant. Hæc ergo femel dicta in posterum sint. Jam ad errorem tam Marcionitarum, quam Cataphrygum deveniamus, quoniam inter utrosque de hac re convenit, ut mortuis professe baptismum existissent. Quod ex eo convincitur esse falsum, quod post mortem non est tempus, nec bene, nec male operandi. Vita hæc nobis à Deo conceditur, in qua laboremus, quia finita juxta id quod quisque in vita gesserit præmiabitur. Sic enim Sapiens ait: (Ecl. 11.) *Ad quamcumque partem lignum ceciderit, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi manebit.* Ligni nomine hominem designavit, qui tunc cadit cum moritur. Cadit autem ad Austrum, qui ventus est calidus, & humidus, cum homo in gratia decedit. Illo enim vento flante, aqua per quam gratia designatur, descendit. Rursus, ille ad Aquilonem cadere dicitur, qui in peccato moritur, quod per aquilonem merito figuratur quoniam ventus ille frigidus est, & pluvias dissipat. Et idem expressius iterum ait: (Ecl. 9.) *Viventes enim sciunt se esse mortuos: mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum: amor quoque, & odium, & invidia simul perierunt, nec habent partem in hoc seculo, & in opere quod sub sole geritur.* Si ergo non habent ultra mercedem, nec partem in opere quod sub sole geritur, qualiter mortuo poterit professe baptismum, qui confertur vivo in demortui loco submisso? Præterea si à mortuo, velut qui non est, perit confelsio (ut ait alius Sapiens, Ecl. 17.) quare etiam non peribit baptismus, qui ceterorum sacramentorum est janua? Rursus, cum Dominus baptismi necessitatem manifestavit, & Apostolis commendavit prædicandum, ait: (Matr. ult.) *Ventes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ubi non dixit quod baptizetur unus pro alio, sed quisque pro se. Baptizantes (inquit) eos. Et expressius apud Marcum (cap. ult.) dicitur: *Ventes in mundum universum, predicare Evangelium omni creature. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Qui ergo sine baptismum dilectit, quantumlibet in ejus locum submisso ejus nomine baptizetur, ille tamen mortuus nunquam dicitur baptizatus: quo fit, ut eum perire sit necesse, quia baptizatus non fuit.

de percontator ab istis, quo pervenisse credunt eum, qui sine baptismum dilectit? Necessarium est, ut ad infernum vadat, aut ad gloriam, vel sit in via ad gloriam, puta in purgatorio. Non est dicendum eum pervenisse ad gloriam, nec esse in via ad gloriam: alioqui baptismus non esset necessarius, cum sine illo postea salvus haberetur. Brit ergo in inferno, quia juxta Evangelium, qui baptizatus non est, condemnabitur, ac si jam non crediderit. Si ergo est in inferno, ut quid alius pro eo baptizatur, cum hoc nihil illi prodesse poterit? In inferno siquidem (ut canit Ecclesiæ) nulla est redemptio. Et Sapiens ait: (Ecl. 19.) *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas.* Et Dominus apud Joannem (cap. 9.) ait: *Venit nox, quando nemo potest operari.* Noctem vocans tempus post mortem (ut beatus Augustinus ait) in quo nemini operari licet. Ideo dixit: *Operamini ergo donec dies est, id est, dum estis in hac vita, quia post mortem nihil poteritis agere.* Impie ergo vesani Marcionistæ, & Cataphryges mortuos baptizare tentantur. Quod autem pro se adducunt illud Pauli: *Alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui omnino non resurgunt?* suo proposito minime conducit: ex falsa siquidem intelligentia procedit. Unde Theophylactus locum illum exponens, ait: „ Porro qui erant baptismum acceperunt, integra pronuntiabant fide symbolum, moxque & illud: *Crede mortuos resurrecturos.* Inquit itaque Paulus: *Qui futuram credunt mortuorum corporum resurrectionem, sub spæque hujusmodi sunt baptizati, quidnam sine, cum eis Christus sit occursurus, acturi?* Quid præterea resurrectionis gratia profusus homines baptizantur, hoc est, pro resurrectionis expectatione, si mortui non resurgunt? Hæc Theophyl. Juxta quem tantum valet, pro mortuis baptizantur, ac si diceret, pro resurrectionis expectatione baptizantur. Verum quoniam hæc expositio nimis coacta est, multumque à littera recedens: ideo aliter juxta sententiam Beati Ambrosii responderetur, qui meo judicio multo melius, & litteræ proximius exponit. Sic enim exponit: *Alioqui quid facient qui pro mortuis baptizantur, si omnino mortui non resurgunt? Quid ex baptizantur pro illis?* Ambrosius: „ In tantum ratam, & stabilem vult ostendere resurrectionem mortuorum, ut exemplum det eorum, qui tam securi erant de futura resurrectione, ut etiam pro mortuis baptizarentur. Si quem forte mors prævenisset, timentes, nec aut male, aut non resurgeret, aut qui baptizatus non fuerat, vivus nomine mortui tingebatur: unde subjicit. *Quid ex baptizantur pro illis?* exemplo hoc non factum illorum probat, sed fixam fidem in resurrectione ostendit. Quid & nos periclitamur omni hora? quotidie morior: pro gloria vestra, quam habeo in Domino. Dicendo, quid & nos periclitamur? discrevit personas, ostendens non catholicos esse qui pro mortuis baptizantur. Denique supra dixit, *ut quid baptizantur pro illis?* numquid dixit, & baptizantur pro illis? Hucusque Ambrosius. Ex hujus itaque præclara expositione patet confectam inem illam, quam Theophylactus ascribit Marcionistis, ut vivus pro mortuo baptizaretur, tempore Pauli esse jam ab aliquibus introductam, quamvis non approbatam. Unde iterum magis miror, quod eam Theophylactus Marcionistis tribuat, quoniam Marcion, qui illo tempore fuit dux, centum ferme annis fuit beato Paulo Apostolo posterior: quoniam hic tempore Antonini Pii floruit, Paulus autem sub Nerone moritur. Occasione vi-

orationum præcedentium. Hujus autem benedictionis traditio specialis (ut ait August.) in synagoga permanfit, & in Ecclesia celebratur in nuptiis: ubi Dei creatura sub Dei benedictione junguntur, & ibidem meliores fiunt, non tamen à benedictione aut orante, sed à Deo, ut multiplicentur super terram. De hac re, scilicet de aqua benedicta, ejusque virtute & efficacia, scripsit librum Joan-

nes de Turrecremata Cardinalis Sancti Sixti, Ordinisque Fratrum prædicatorum, quem facer me non vidisse, nec invenire potuisse: quod doleo: quoniam cum virum doctum eum existimem, magnas mihi suppetias (ut credo) tribuisset. Verum Joannes Trithemius in libro de Ecclesiasticis scriptoribus refert hunc Cardinalem scripsisse librum de hac re.

FINIS LIBRI SECUNDI.

F. ALFONSI DE CASTRO, ZAMOREN. MINORITÆ. ADVERSUS HÆRESES.

LIBER TERTIUS.

BAPTISMUS.



Pura sunt, quæ in baptismo tenere & firmiter credere oportet, scilicet Baptismum esse Sacramentum, materiam baptismi esse aquam, verba quibus baptizandus est quisque esse, in nomine Patris, & Filii, &c. ipsius baptismi virtutem & efficaciam, ut per illum deleatur peccatum originale, & gratia à Deo infundatur. His autem omnibus contrariæ hæreses ortæ sunt, quas tali ordine disponemus, ut prius de his dicamus, quæ substantiæ baptismi adversantur: deinde eas pertractabimus, quæ efficaciam virtutemque illius oppugnant.

Prima ergo hæresis est, quæ errat in materia (prout recentiores theologi loquuntur) non enim baptizant in aqua, sed in igne. Hic est error Seleuci & Hermiæ Galatarum, de quibus jam supra diximus. Augustinus in libro de hæresibus, capite quinquagesimo nono de Seleucis & Hermianis loquens, dicit illos non baptizasse in aqua, non tamen expressit in qua re baptizabant. Verum Philaster de illis differens, expressit eos baptizasse in igne: occasionem inde sumentes, quod ait Joannes Baptista apud Matthæum, cap. 3. de Christo loquens: *Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto & igne.* Quamquam & illa vox, igne (ut doctissimus vir Erasmus admonet) in exemplaribus Græcorum non habetur: tamen Hieronymus & Hieronymus ita legunt, & Chrysofomus, qui Græcus fuit, ita legit, & Cyrillus etiam Græcus in libro de recta fide ad Reginas, ita hunc locum citat. Quapropter locum illum admittentes, prout citatur, dicimus Christum baptizatum in Spiritu Sancto & igne, quia Spiritus Sanctus est ignis: vel quia hic baptizatur in spiritu & aqua, in futuro autem baptizabitur igne: juxta illud Apostoli (2. Cor. 3.) *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Et hac duplici interpretatione exponit illum locum Hieronymus, similiter Hylarius: & hoc sequitur Christianus Druthmarus. Et hæc expositio de baptismo ignis pro tempore futuro, satis apparet esse litteræ germana, per id quod immediate subiungit: *Cujus ventilabrum in manu sua, & per mundabit aream suam, & congregabit triticum in hor-*

reum suam, & paleas autem comburet igni inextinguibili. Ex quibus verbis patet, illum fuisse locutum de igne futuri judicii. Verum Nicolaus Lyranus ideo putat dictum, in Spiritu Sancto & igne, quia in primitiva Ecclesia Spiritus Sanctus descendebat in figura ignis. Mihi (ut ingenue loquar) magis aridet prior expositio. Superest ut hæresim ipsam expugnemus, in quo negotio parum demorari convenit, cum res sit apertissime sacris litteris contraria: (*Matth. 18.*) *Euntes (inquit Dominus) in mundum univesum, prædicate Evangelium omni creatura, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, &c.* Baptizare autem græce, idem est quod immergere latine, & baptisma idem quod immersio aut lotio. Nullus autem lavat igne, sed adurit: aqua autem lavatur. Præterea Apostolus Paulus de baptismo mentionem faciens, (*Ephes. 5.*) lavacro aquæ Christi nos mundasse ait, non autem adustione ignis. Sic enim ait: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, & exhibere ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam.* Ecce Apostolus dicit Ecclesiam mundatam lavacro aquæ, non autem adustam igne. Rursus ipsimet Apostoli baptizantes (ut ex pluribus locis Actorum Apost. patet) in aqua baptizabant, non tamen igne. Accedit ad hæc, quod ipsemet Dominus noster Jesus Christus in Jordane baptizatus est à Joanne (*Matth. 3.*) ut contactu suæ mundissimæ carnis aquas sanctificaret, ut instrumentum esse posset divine bonitatis ad expianda peccata, & ut nobis exemplum præberet, quod in aqua essimus baptizandi. Demum quovis vetus testamentum de hoc sacramento figurative (ut solet) loquitur, nomine aquæ illud designat: ut apud Zachariam Prophetam cap. 13. dicitur: *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Hierusalem, in ablu-tionem peccatoris & menstruatæ.* Et apud Ezech. cap. 30. dicitur: *Esfundam super eos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab univetsis idolis vestris mundabo vos.* Apertissimus est ergo ex sacris

litteris baptismum in aqua fieri, & non in igne. Denique contra hanc hæresim est definitio Concilii Florentini sub Eugenio 4. celebrati, quod de sacramento baptismi loquens, hæc ait: *Materia hujus sacramenti est aqua vera & naturalis, nec refert, frigida, sit an calida.* Hæc Concilium.

Secunda hæresis est circa formam hujus sacramenti, hinc est, circa verba, quibus baptismus conficitur: quoniam non illis utitur, quibus catholica utitur Ecclesia, & quæ Christus Apostolos suos docuit. Verum hæc hæresis partia est in plures, juxta varias formas, quibus diversi hæretici uti sunt. Quidam enim sic baptizant: *In nomine ignoti patris omnium, & veritate omnium matre, & in eo qui descendit in Jesu.* Hi sunt Marcitæ, discipuli Marci cujusdam magicæ artis, periti, qui circa tempora Apostolorum fuit, de quo mentionem facit Irenæus lib. 1. adversus hæreses, cap. 8. & Eusebius lib. 4. hist. Ecclesiast. cap. 11. Hic enim Marcus inter alios quos docuit errores dixit, quod is qui in lege & Prophetis prædicatus est Deus, non esset Pater Domini nostri Jesu Christi, Cerdonem & Marcionem in hac parte secutus quia ille quidem, ut dicebat, ignotus esset: hic autem notus: de quo errore alibi disseremus. Quapropter ab hoc errore discipuli hujus Marci procedentes, sic baptismum conficiebant: *In nomine ignoti patris omnium, &c.* Alii vero ex eisdem sectatoribus Hebraica nomina ad pavorem audientium super eos quos initiavit, terribiliter loquuntur. De Paulianistis & Cataphygybis dicitur, quod in nomine Trinitatis minime baptizant, ut habetur 1. cap. Paulianistæ. Quapropter in Nicæno Concilio præceptum est, ut cum ad Ecclesiam catholicam aliqui ex illis redierint, rebaptizentur, quoniam veram baptismi formam non tenuerunt, atque ideo nec verum baptismum. Quasi autem forma utebantur numquam legi neque apud Philastrum, neque apud Augustinum aut Guidonem, qui omnes de hac re loquuntur. Qui autem sint Cataphryges, & quo tempore cœperint, in sequenti hæresi declarabitur. De Paulianistis vero, infra in titulo de Christo, hæresi prima dicitur. Adversus istos omnes eisdem armis pugnabimus. Offensa siquidem vera baptismi forma, manifestum evadit reliquas omnes inanes esse. Vera baptismi forma quam Christus docuit, ponitur in Matthæo: cap. ult. *Euntes, inquit Christus, in univesum mundum, prædicate Evangelium omni creatura, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ex quibus verbis tria colliguntur esse necessaria ad formam baptismi, videlicet expressa Trinitatis pronuntiatio, & verbum exprimens actum ipsum baptismi: & vox exprimens personam baptizatam: *Baptizantes, inquit, eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* De primo dicitur in canonibus Apostolorum, canone 49. Si quis Episcopus aut Presbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sed in tribus sine initio principii, aut in tribus filiis, aut in tribus paracletis, abjiciatur. Hæc ibi. Ut autem actus ipse baptizandi conformis sit verbis, præcipitur etiam, ut in ipso baptismo trina sit versio, quod ab ipsis etiam Apostolis statutum fuisse reperimus. Nam canon Apostolorum quinquagesimus sic ait: *Si quis Episcopus aut Presbyter non in trina versione unius mysterii baptismum celebret, sed semel immergat in baptismum, quod dari videtur in domini morte, deponatur.* Non enim dixit nobis dominus, in morte mea baptizate, sed *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus*

Sancti. Hæc ibi. Bece quanta fuit Apostolorum cura de expressione Trinitatis in baptismate, ut non essent contenti verborum explicatione, nisi trina versio ostensione confirmaretur. Verum quod ibi dicitur de trina versione, non est sic accipiendum, ut sine ea verus baptismus esse non possit, quoniam sive semel, sive bis, sive ter mergar, verus erit baptismus, si reliqua ad baptismum necessaria adsint. Minister autem tenetur baptismum exequi in una aut tribus versionibus: juxta consuetudinem loci in quo habitat. Nam de hac re jam definitum fuit in Concilio Toletano quarto cap. 5. quod qualibet Ecclesia suam teneat consuetudinem. Hispania autem ad tollendas occasiones hæresum, quæ ex trina versione oriebantur, elegit in illo Concilio unicam versionem, ne videlicet quispiam putaret triplicem esse personarum divinarum substantiam, sicut trina erat versio. Sive tamen unica sive multiplice versione baptizet, verba tamen semper debent esse eadem, ut videlicet tres personæ propriis earum nominibus exprimantur. Quod si quis objiciat Apostolorum factum (*Act. 8.*) qui in Christi nomine solum baptizarunt, non expressis aliarum personarum nominibus, ut Apostolica historia narrat, quod ad prædicationem Philippi Samaritani conversi sunt, & baptizati erant in nomine Jesu: huic objectioni primo respondetur id quod beatus Ambrosius ait in nomine Jesu Christi totam designari trinitatem. Nam cum Christus idem sonet latine quod unctus, hoc ipso nomine quadam rerum connexione denotantur & ipse qui unctus est, scilicet Filius, & à quo unctus est, videlicet Pater, & unctio ipsa quæ unctus est, videlicet Spiritus Sanctus. Quapropter cum in nomine Jesu Christi tota Trinitas designetur, ponentur (ut ait) Apostoli in nomine Jesu baptizare. Aliter respondetur, & forte exactius juxta recentiorum theologorum communem sententiam, Apostolos tunc id egisse ex divina quadam dispensatione illis insinuata, propter exaltationem nominis Jesu Christi, quod Judæis erat scandalum, Gentibus autem stultitia. Qua occasione sublata, cum videlicet jam nomen Domini Jesu esset exaltatum, nulli licet hoc solo nomine invocato baptizare. Quod si secus aliquid attentatum sit, ut videlicet quis in solo Christi nomine baptizare tentaret, varia est inter doctores sententia, an baptismus esset inanis & infragifer. De qua re nihil nunc definire volo, quia in hoc opere, non hominum opiniones, sed solam fidem catholicam pertractare decrevi. De secundo autem, videlicet quod requiratur verbum exprimens actum baptismationis, & tertio similiter, si persona baptizata, patet ex ipsis Christi verbis: *Baptizantes, inquit, eos in nomine patris, &c.* Ubi ponitur participium baptizantes, exprimens actum ipsum, & pronomen eos, exprimens personas baptizatas. Quod autem actus baptismationis exprimat per verbum indicativi aut alterius modi, puta imperativi, non est definitum quid necessarium sit, quoniam nec bene definiti posset cum Christus in suis verbis actum baptismi participio expressit, & non verbo: baptizantes, inquit, eos, &c. Quapropter Ecclesia Romana, quantum ad hoc permittit ac tolerat Græcos, qui in alia forma baptizant quam Latini. Sic enim dicitur: *Baptizet servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quia enim in principio nascentis Ecclesiæ tale schisma ortum est, ut quilibet æstimaret illum ad se pertinere, qui ab illo baptizatus esset, ita ut unus diceret, Ego sum Cephæ: alius, ego sum Pauli, quos Apostolus reprehendens (1. Cor. 1.) ait: *Numquid Cephæ pro vobis mortuus est, aut Paulus? Ad tollendum hoc*

tandæ hujusmodi hæreseos, Concilium Carthagenſe ter-

Quarta hæſis eſt circa baptiſmi vim, & poteſtatem...

obviem. Cum ergo de omnibus Sacramentis dicat, etiam ad baptiſmum referri debet. Quapropter hæc ejuſ aſſer-

niſi gratiam ejuſ habere, qua velut veſtimento regimur...

Quinta hæſis aſſerit parvulis uſu rationis carentibus...

Sancti Egidii ſcriptiſ, quæ eſt in ordine ſuarum epiſtola...

sive catholica carent, & istis necessaria est fides catholica, ut possint ad Deum pervenire. *Credere oportet* (inquit Paulus Heb. 11.) *accidentem ad Deum, quia est, & quod inquirantibus se remunerator sit.* Si is qui fide caret, aliquo est insuper mortali peccato irretitus, huic duplex via est necessaria, ut ad Deum pervenire possit: quoniam non satis est illi fides, nisi insuper addat peccatorum penitentiam. Si vero nullo est infectus peccato mortali, sed solum caret fide, huic sola fides cum baptismo est illi necessaria, & sufficiens, ut ad Deum accedere valeat. *Qui crediderit* (inquit Salvator, Marc. ult.) *& baptizatus fuerit salvus erit.* Tales sunt parvuli ante baptismum, quoniam hi, etsi nulli sint peccato mortali obnoxii, quia illud sine usu rationis nequaquam committere possunt, fide tamen catholica carent, propter cujus defectum, & propter peccatum originale, in quo nati sunt, tam longe à Deo distant, ut filii iræ dicantur, & sint. Ut igitur ad Deum isti pervenire possint, & filii Dei esse: & per consequens vitæ æternæ hæredes, necesse est illos baptismum suscipere, per quod filii Dei fiant. Nam sine illo renasci non possunt, nec filii Dei esse. Ex his omnibus convincitur Anabaptistas qui parvulos à baptismo ejiciunt, ipsos esse qui eosdem parvulos prohibent, ne ad Deum perveniant, quos & Christus reprehendit (*Matt. 19.*) dicens: *Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere; talium enim est regnum cælorum.* Et hoc ultimum est secundum per quod Anabaptistæ in verbis Christi reprehenduntur. Christus enim dicit, regnum cælorum ad pueros pertinere. Anabaptistæ vero illos à regno cælorum, quod sine baptismo assequi non possunt, relegere contendunt. Præterea idem Salvator ait: (*Matt. 11.*) *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Quæ verba eandem profus habent promissionem, quamquam verbis differentem. Nam re ipsa idem profus est dicere, *Ego reficiam vos*, & dicere: *Talium est regnum cælorum.* Quia omnes qui reficiuntur spiritualiter à Christo, quando in illo refectionis statu permanent, jus habent ad regnum cælorum. Et vice versa, omnes qui jus habent ad regnum cælorum, etiam spiritualiter reficiuntur nunc à Christo per Spiritum Sancti gratiam habitantem in eis, & postmodum per gloriam æternam. Cum igitur eadem sit hæc, & illa promissio, opus est ut bene advertamus, qui sunt illi quibus hanc dat promissionem, & quid ab illis exigit ut promissionem fruantur. *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.* Laborantes, & oneratos vocat, sed qui sunt isti, Theophylactus optime nos docet, sic inquit: *Omnes vocat non solum Judæos, sed Gentiles. Per*, laborantes intelligit Judæos, ut facientes traditiones, legis, & in operatione mandatorum legis fatigatos. *Per* oneratos autem, Gentiles onere peccatorum oppressos. Hæc Theophylactus. Istis omnibus promittit refectionem, & illis omnibus præcipit ad se venire. Dicens autem: *Venite ad me omnes*, nullum excipit, nullum excludit, sed omnes ad se vocat, parvulos perinde ac adultos. Nam parvuli gravati sunt, & onerati, quamvis non tanto onere quanto adulti, quoniam adulti gravati sunt onere peccati mortalis, parvuli autem solo peccato originali (quod multo minus est quam mortale) onerati sunt. Forte hoc loco Anabaptistæ respondebunt præcepta illa, quæ nunc proxime commemoravimus, non ad parvulos, sed ad solos adultos data esse: quoniam parvuli non possunt ad Deum venire: quoniam nec Christum cognoscere possunt, & per consequens nec

eam fidem possunt habere, quæ ad perveniendum usque ad Christum, est necessaria. Hæc responsio ex nimium crassa ignorantia procedit. Quoniam ignorare se ostendunt quantum sit discriminis inter parvulos, & adultos, in modo veniendi ad Christum. Nam eadem est differentia in modo veniendi spiritualiter, quæ fuit olim in modo accedendi corporaliter ad ipsam Christi personam. Adulti siquidem præsertim sani, & qui corpore valebant, cum ad Christum corporaliter accedere volebant, propriis pedibus accedebant, & ad illum ibant; parvuli vero non propriis sed alienis pedibus (eo quod se movere non poterant) ad Christum perveniebant. Ad hunc prorsus modum discriminantur inter se, in modo veniendi spiritualiter ad Christum. Nam adulti (eo quod usum rationis habent, & libero utuntur arbitrio) propria fide venire debent, si ad Christum spiritualiter venire volunt. Parvuli vero qui usum rationis non habent, nec libero utuntur arbitrio, aliena fide (hoc est) fide parentum, aut saltem fide matris Ecclesiæ Catholicæ ad Christum veniant, quando à parentibus suis, vel ab aliis portantur, ut baptismum recipiant. Itaque parvulis aliena fides hoc efficit ad baptismum fructum suscipiendum, quod adultis facit fides propria. Hoc tamen est inter hos, & illos discriminem, quod adulti propter fidem propriam majorem gratiam recipiunt in baptismo, quam parvuli, qui solum baptizantur ex fide aliena. De hac re testimonium reddit apertum B. Bernardus in quadam epistola ad Magistrum Hugonem de Sancto Victore, quæ est in ordine suarum epistolarum septuagesima septima, sic dicens: „Sane infantes, qui hanc (prohibente ætate) non possunt habere fidem, hoc est cordis ad Deum conversionem, consequenter nec salutem, si absque baptismi perceptione moriuntur, non quod vel ipsi quando baptizantur, fide omnino careant, sine qua impossibile est, vel ipsos placere Deo: sed salvantur, & ipsi per fidem, non tamen suam, sed alienam. Dignum nempe est: & ad Dei spectat benignitatem, ut quibus fidem ætas denegavit propriam, gratia prodesse concedat alienam.“ Hactenus Bernardus. Fidem sententiæ facit Augustinus libro tertio de Libero Arbitrio, sic inquit: „Illud persecutori homines solent, sacramentum baptismi Christi quid prosit parvulis cum eo accepto plerumque moriuntur, prorsusquam ex se quidquam poterint cognoscere. Qua in re satis pie recte, que creditur prodesse parvulis fides eorum à quibus consecrandus offertur. Et hoc Ecclesiæ commendat, auctoritas, ut ex eo quicumque sentiat quid sibi proficiat, fides sua, quando in aliorum quoque beneficio, qui propriam nondum habent potestatem commoda sit.“ Hæc Augustinus, & citantur à Gratiano in cap. Illud, de consecr. dist. 4. dicitur epistola 25. in fine. Si autem Anabaptistæ contendunt: illa Christi verba: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis*, ad solos adultos spectare, de hoc nunquam cum illis contendam, immo potius illorum sententia utar ad meæ confirmationem. Nam si hoc illi dixerint, tunc hoc discriminem quod inter parvulos, & adultos ostendimus esse circa modum veniendi ad Christum, multo melius poterit colligi ex veritate illorum duorum Christi verborum, quæ supra proxime citavimus. Ideo enim Christus, vel ipsi Anabaptistis fatentibus, dixit adultis simpliciter: (*Matt. 11.*) *Venite ad me omnes*, quia adulti audire, & intelligere poterant præceptum, & illud per seipos implere, ut pote qui suis pedibus, & proprio motu ad Christum venire,

& usque proprie rationis, & proprie arbitrii in Christum credere illumque diligere poterant. Parvulis autem non dixit venire, quia id propria voluntate, & suis pedibus facere non poterant, sed parvulorum parentibus, ut illorum curatoribus adminiculo parvuli indigent, præcipit Christus, *Sinite parvulos venire ad me, & nolite eos prohibere*: Ac si apertius diceret: *Volo parvulos venire ad me, sed quia id sua sponte & propriis pedibus facere nequeant, præcipio vobis parvulorum custodibus, ut illos venire sinatis, & nullo modo prohibeatis immo potius adjuveris.* Et ut hoc quod dico apertius fiat, alio simillimo exemplo id ostendit volo. Per præceptum hoc: *Non occides*, non solum prohibetur est cuiuslibet homini ne se gladio, aut laqueo, aut inedia, aut quovis alio modo se interimat, sed præceptum est etiam illi ut omne præsertim magnum periculum mortis evitet. Verum quia parvuli infantes id proprie sponte vitare non valent, absque ulla dubitatione intelligimus ipsorum parentibus aut curatoribus præceptum esse, ut illos tueantur & non permittant illos ire præcipites in mortis discrimen. Si autem ob nimiam parentum negligentiam, in ignem vel aquam, aut gladium parvulo incidere contingat, & ita mori, parvuli ipsi absque ulla culpa sua morientur. Ipsi tamen parentes aut illorum curatores rei mortis apud Deum æstimabuntur, propterea quod non vitarunt mortis periculum quum id facere poterant. Idem profus in præsentii negotio de baptismo, parvulis contingit: quoniam cum illos pro suarum animarum salute acquirenda, ad baptismum venire oporteat, non tamen illis expresse dictum est ut veniant, sed nobis omnibus præceptum est, ut eos venire sinamus, ut nullo modo illos prohibeamus. Illorum vero parentibus aut curatoribus præceptum est, non solum ut non prohibeant, sed etiam ut illos portent, aut portare faciant ad baptismum.

Et si forte propter magnam parentum aut curatorum negligentiam parvulum sine baptismo mori contingat, nulla propter baptismum omnium parvulo, sed solis illius parentibus aut curatoribus imputabitur culpa. Ex his omnibus aperte convincitur, parvulis, quia propria fide habere non possunt, alienam fidem ad baptismum susceptionem sufficere, & per illam ad Christum illos optime pervenire.

Nam parvuli illi de quibus Christus dixit discipulis suis, *Sinite parvulos venire ad me*, non sponte sua & propriis pedibus veniebant ad Christum, sed ab aliis portabantur. Afferebant, inquit, Lucas cap. 18. ad illum infantes ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli increpabant illos. Jesus autem convocans illos, dixit: *Sinite parvulos venire ad me, & nolite vetare eos, talium enim est regnum Dei.* In quibus verbis id potissimum advertendum est, quod parvulos dixit venire ad se, qui tamen ab aliis afferebantur.

Rursum, ex variis baptismi figuris, quæ olim in veteri testamento præcesserunt, aperte potest convinci parvulis posse prodesse baptismum perinde ac adultis. Neque hoc parvum est argumentum, cum juxta Pauli sententiam (1. Cor. 1.) omnia patribus in figura contigerint, & Paulus ipse (*Galat. 4. & 1. Cor. 9.*) ex hujusmodi figuris sæpe sumplerit argumentum ad probandum ea dogmata, quæ nunc pro tempore novi testamenti sunt ab omnibus necessario suscipienda. De qua re aliquantulum differat superius lib. 1. cap. 3. Primo ergo offero arcam Noe, de qua nemo juste poterit negare figuram fuisse

baptismi, cum id apertissime doceat beatus Petrus Apolos, 1. 3. sic dicens: *In arca Noe pauci, id est, octo anime salva factæ sunt per aquam.* Quod & vos nunc nunc formæ facit baptismum. In quibus verba aperte ostendit in illa arca tyrum fuisse baptismi nostri. Arca illa ex variis lignis constructa, significat Ecclesiam ex variis populis, Judæis videlicet & Gentibus congregatam & variæ illius arca mansiones, significat varios Ecclesiæ status. Arca ferebatur aquis ad portum, & fideles omnes baptismum ferebantur ad portum salutis, hoc est, ad gloriam æternam. Salus corporis fuit per arcam, & salus animæ fit per baptismum. Pauci, id est, octo tantum per arcam salvati sunt, videlicet Noe, & tres filii ejus, & uxor Noe, & uxores trium filiorum ejus: ita licet multi ad baptismum vocati sunt, pauci tamen sunt electi. In diluvio absorpti sunt & perierunt, non tantum qui propria voluntate peccaverant, & iram Dei contra se provocaverant, sed etiam innumeri parvuli, qui numquam suo libero arbitrio peccaverant, nisi quod nati erant filii iræ. Ad hunc modum sine baptismo pereunt nunc non solum adulti qui sua sponte peccant, sed etiam parvuli qui nondum sua sponte peccaverunt, sed solo peccato Adæ sunt maculati, & in ira Dei nati. Item in arca illa non solum salvati facti sunt à morte corporis homines qui Deum Deum agnoscebant, sed etiam jumenta multa, quæ Deum ad illam salutem propter hominis servitium elegerat, quæ tamen Deum ipsum minime cognoscebant. Eodem modo per baptismum accipiunt salutem, spiritualem quotquot illius capaces sunt, sive suam redemptorem agnoscant, sive, tamquam jumenta illum profus ignorent, & nihil de salute animæ sibi per Christi merita concessa intelligant, prout sunt parvuli, qui quamvis sint spiritualis salutis capaces, perinde ac adulti, ad instar tamen jumentorum, nec suarum animarum salutem, nec Deum ipsum ejusdem salutis auctorem cognoscere possunt.

Nam infantes quamvis speciem humanam foris habeant, & animam immortalem, ita perfecte intra se continent ut adulti, quia tamen usu rationis eo tempore carent, sunt vere jumentis simillimi, juxta id quod Propheta ait: (*Psal. 48.*) *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Alteram figuram baptismi habuit mare rubrum, per quod Israelitæ fugientes ab Ægypto, transierunt & salvati facti sunt, & erepti à Pharaonis persecutione. Neque mare illud quis citra pudorem poterit negare fuisse baptismi figuram, quia hoc apertissime docet Paulus in priorè ad Corinthios epistola, sic inquit: *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & in mari.* Scutemur bene hæc baptismi figuram, & postea aperte cognoscemus illam nostræ & catholicæ sententiæ maxime favere. Nubes & mare simul juncta veram & integram efficiunt baptismi figuram, quoniam baptismum duabus rebus consummatum, aqua videlicet & spiritu, prout Salvator dixit: (*Joan. 3.*) *Regenerationem ad Regnum Dei acquirendum necessariam per aquam & Spiritum Sancto.* Mare rubrum significat ipsam baptismi aquam quæ & ipsa rubra est, non quidem naturali colore suo, sed virtute & operatione quam ex merito rubei & purpurei sanguinis Christi habet in virtute Spiritus Sancti intus operantis. Et propter hanc causam dicit illos esse baptizatos in Mose, quoniam sicut Mose ductore populus ille salvatus est, sic nunc Christo ductore & nos ad passionem præcedente, meritis illius salvamur per baptismum.

in errorem inducantur, *scribi potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: ecce in deserto, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.* Ita certe jam videmus impleta, multos pseudochristos & pseudoprophetas audivimus. Donatistæ dicunt, ecce apud nos est Christus: & non alibi: Armeni dicunt, ecce apud nos est Christus. Sed juxta monitionem Christi oportet ut non credamus illis, sed maneamus in catholica Ecclesia, quæ una est omnium mater. Ad hunc locum etiam pertinet error Cypriani, & aliorum Africæ Episcoporum, qui Concilio apud eos de hac re celebrato definierunt hæreticos, cum ad Ecclesiæ communionem redissent fore rebaptizandos, quia (ut assererent) in hæreticos non potest conferri baptisma. In hac autem parte, zelo, ut suspicor, & non secundum discretionem moti, & odio quod adversus hæreticos conceperant, ducti errarunt. Nec tamen propter hunc errorem Cyprianus aut alii ei consentientes judicandi sunt hæretici, quia illum, pertinaci animositate minime defenderunt, quinimo parati ab aliis meliora docentibus corrigi, sententiam suam dixerunt. Quod ex ipso facto patuit, quoniam à summis Ecclesiæ Pontificibus, videlicet Cornelio, Lucio, Stephano edoceri, contraria prioribus ipsi Aphri definierunt. Qui error non primum in Africâ, sed in pluribus antea locis, velur in Iconio (ut Euseb. 7. lib. histor. Ecclesiast. cap. 6. refert) fuit tractatus. Novissime autem diebus istis in partibus Germaniæ superioris surrexit quidam Balthasar, qui homines docet rebaptizare, dicens parvuli non professe baptisma: quapropter cum ad annos discretionis pervenerint, debere iterum baptizari: quod in multis fecisse perhibetur, multosque per suum impium errorem seduxisse, adeo ut hujus factionis homines Anabaptistæ, hoc est, rebaptizatores vocentur. Contra hunc Balthasarem & ejus sequaces non est quod amplius agamus, quoniam cum jam ostenderit parvulis sicut adultis professe baptisma, fundamento eorum subverso, totius erroris structura corruet. Contra alios autem omnes hoc ordine procedemus, ut primo ostendamus ministri malitiam nullo modo minuire baptisimi veritatem, quin à quocumque ministro conferatur, dummodo cætera quæ sunt necessaria tenent, verus sit baptisimus. Primo probatur per illud quod habetur apud Joann. cap. 4. videlicet quod discipuli Christi baptizabant, inter quos erat Judas, qui quamvis non proditor, tamen fur erat: & latro: nec tamen baptizatis ab ipso legitur quod rebaptizati umquam fuissent. Præterea hoc ipsum expressius confirmat dictum Joann. Bapt. cap. 1. *Vidi spiritum descendentem quasi columbam de celo, & mansit super eum, & ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu Sancto.* Hæc ille in Evangelio Joannis. Ex quibus verbis patet eum qui baptizat esse Christum Filium Dei. Nam quamvis minister exterius corpus abluat, Christus tamen est qui interius mundat animam. Hic ergo est solus qui baptizat in Spiritu Sancto, reliqui autem ut ministri. Hic est (inquit) qui baptizat in Spiritu Sancto, cum tamen ipse tunc non baptizaret, sed potius à Joanne baptizabatur: per quod innuere voluit ipsum Christum esse qui semper baptizat, quantumlibet varietur minister. Si ergo ille est qui baptizat, quid malus minister poterit obesse? Nam & Paulus ait: (1. Cor. 3.) *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Unde convincitur, quod nihil potest obesse minister malus, cum dominus qui bap-

tizat sit bonus. Hoc etiam B. August. elegantissime comprobatur, dicens: „ Si superbus fuerit minister, cum diabolo computatur: sed non contaminatur donum Christi. Quod per illum fluit, purum est. Per lapideum canallem transit aqua ad areolas. In canali lapideo nil generatur, sed hortus fructus plurimos adfert. Et lib. 10. de unico baptismo sic ait. Cum tantum valeat baptisimus per hominem contemptibilem, quantum per Apostolum datus: ita nec illius, sed Christi esse cognoscitur. Item invenimus dictum ab Apostolis. Et gloriam meam, quamvis utique à domino; & ministerium meum, & prudentiam meam, & Evangelium meum, quamvis utique à domino impartitum sit atque donatum: baptismum autem meum eorum dixit omnino. Neque enim omnium æqualis est gratia, nec ministrant omnes æqualiter, nec æquali prudentia vel scientiâ sunt omnes præditi, & in evangelizando alius alio melius operatur: & ideo dici potest alius alio doctior in ipsa salutari doctrina. Alius autem alio magis minusque baptizatus dici non potest, sive ab inferiore, sive à majore baptizetur. Et Zacharias Papa Bonifacio Episcopo scribens, ait: „ Enimvero quosdam baptizatos abque interrogatione symboli ab adulteris presbyteris indignis factus est. In his tua dilectio teneat anti-quam morem Ecclesiæ: quia quiquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatus est, rebaptizari minime liceat. Non enim in nomine baptizantis, sed in nomine Trinitatis hujus gratiæ donum percipit. Et teneatur quod Apostolus ait: *Unus Deus, una fides, unum baptisma.* Hæc ille. Ex his ergo tam apertis scripturæ & sacrorum doctorum testimoniis aperte convincitur, ministri malitiam nequaquam obesse baptismo, quin per illum baptisma verum conferri queat. Verum dicit aliquis, has auctoritates bene sufficere ad probandum de quocumque alio crimine, ut puta adulterio, homicidio, &c. quod illud in ministro non obstat, quin verum conficiat baptisma: de hæretico tamen hoc non probant, sed si bene inspiciantur, æque probant de hæretico, sicut de cuiusque alterius criminis reo: quoniam sive minister sit adulter, sive homicida, sive hæreticus, qui baptizat in Spiritu Sancto Christus est. Unde Augustinus in libro de Baptismo: „ Cur hæretici foris baptizare non possunt? An quia peiores sunt eo ipso quod foris sunt? Sed nihil interest ad integritatem baptisimi quanto pejor id tradat; neque enim tantum interest inter malum & pejorem, quantum inter malum & bonum: & tamen cum baptizat malus, non aliud dat quam ille qui bonus est: ergo cum baptizat pejor, non aliud dat quam ille qui minus malus est. Hæc Aug. Et idem contra Cresconium grammaticum ait: Si inter bonos ministros, cum sit alius alio melior, non est melior baptisimus qui per meliorem datur: nullo modo malus est qui etiam per malum datur, quando idem baptisimus datur. Et ideo per ministros dispares Dei munus æquale est, quia non illorum, sed ejus est. Hæc ille. Præterea baptizatus à Judæo aut Pagano recte verba proferente, & intentionem habente faciendi quod Christiani faciunt, vere baptizatus est, nec iterum debet baptizari: ergo baptizatus ab hæretico vere etiam erit baptizatus. Assumptum probatur per illud quod Nicolaus Papa respondet ad consula Bulgarorum, & ponitur in volumine Decretorum de consecratione distinctione 4. A quodam Judæo, nescitis an Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos esse asseritis: & quid inde sit agendum, consulitis. Hi profecto si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Act.

Apost.

Apostolorum legitur, baptizati sunt, unum quippe idemque est (ut Sanctus Ambrosius exponit) quia non illorum, sed ejus est, rebaptizari non debent. Hæc ibi Nicolaus Papa. Ex his ergo testimoniis convincimus, ministri malitiam, etiam si hæretis sit, nullo pacto obesse baptismo, quin hæreticus verum baptisma conferat, si ea faciat quæ ad baptismum sunt necessaria. Verum hic addimere oportet, ministri malitiam, est baptismum non obstat quin verus sit baptismus, obesse tamen baptizato, ut scilicet gratiam per talem baptismum non recipiat, quia posuit obstaculum culpæ, quam sic à tali malo ministro baptismum recipiendo commisit. Qui enim à malo ministro, præcipue hæretico, ex certa scientia baptismum recipit, peccat: tum quia communionem cum hæretico habet in his, in quibus maxime conveniebat nullam communionem habere: tum etiam quia circa hoc expressa facta est per Ecclesiâ prohibitio. Unde inter Canones Apostolorum, canone 46. dicitur, Episcopum, aut Presbyterum hæreticorum suscipientem baptismum, damnari præcipimus. Quæ enim conventio Christi ad Belsai? aut quæ pars fidelium cum infidelium? Peccat ergo ab hæretico scienter, & industria baptismum recipiens: quapropter licet verum baptisma recipiat, non tamen effectum baptisimi. Si tamen necessitate cogente id faceret, utpote quia mors instat, nec alius adeat à quo baptismum recipere possit, præter hæreticum hominem, potest ab eo baptismum recipere: modo id non faciat hæc intentione, ut illius hæresim assentiat, seu tanquam veram fidem catholicam suscipere volens. Unde beatus Augustinus, & ponitur in volumine Decretorum de consecratione, distinct. 4. cap. Quomodo, sic ait: „ Potest pejori tradere separatim, sicut potest habere separatim: sed quam perniciosum est habere, perniciosum est tradere. Ille autem cui tradidit, potest salubriter accipere, si ipse non separatim accipere, perit urgente mortis necessitate. Hæc Augustinus. Excepta ergo necessitate urgente, quiquis à malo, præcipue hæretico ministro baptizatur, peccat. Verum ergo baptismum recipit, effectum baptisimi non recipit, quia culpa ejus impeditus est baptismus, ne fuit circa illum haberet effectum. Et hinc ait August. loco proxime citato, sui erroris originem fuisse Cyprianum, & cæteros apud Africanos Episcopos: „ Non ob aliud (inquit) visum est à quibusdam etiam egregiis viris, & Antistibus, inter quos præcipue beatus Cyprianus eminebat, non esse posse apud hæreticos, vel schismaticos, baptismum Christi, nisi quia non distinguunt sacramentum ab effectu, vel usu sacramenti. Et quia ejus, sacramenti usum, atque effectum, in liberatione à peccatis, & rectitudine cordis apud hæreticos non inveniebant, ipsum sacramentum quoque illic non esse, putabant. Hæc August. Si ergo, ut jam plene ostendimus, ministri qualescumque malitia non obest quin ab eo baptizatus verum suscipiat baptismum: consequens est, ut ab eo baptizatus rebaptizari minime debeat. Et hoc est secundum, quod discutere promissimus. Verum quoniam Armeni (ut diximus) Latinos rebaptizant, alia tamen ratione ducti quam Aphri illi Episcopi, & Donatistæ, contra quos modo egimus: quia videlicet dicunt Romanam Ecclesiam non habere justam baptisimi formam: ideo contra istos aliter agendum est, ostendere videlicet Ecclesiam Romanam veram baptismi tenere formam, quò factò verus erit etiam baptismus: & ita non erit cur ab eis Latini rebaptizentur. Quod autem

Tom. I.

vera sit apud Latinos baptisimi forma, ex secundo errore de baptismo superius improbo paruit. Nam forma quam Christus docuit, apud Mattheum descripta, tria exprimit necessaria, quæ sunt verbum exprimens actum baptizandi, nomen designans personam baptizandam, invocatio Trinitatis expressa. *Baptizantes* (inquit) *eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Baptizantes, ecce primum: eos, ecce secundum, scilicet, persona baptizata: In nomine Patris, &c. ibi ostenditur tertium. Forma autem quam Ecclesia Romana tenet, hæc omnia complectitur. Ea enim sic habet: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In qua cum omnia sint necessario requisita, non est cur impii Armeni negent apud nos esse verum baptismum. Contra impios autem Anabaptistas, qui prohibito rebaptizant non solum semel, & iterum, sed tertio, quarto, & quinto: quoniam baptismum, velur penitentiam, quoties placeat iterant: contra istos inquam aliter agendum est. Primo eorum hæresim expugnat id quod ait Paulus: (*Ephes. 4.*) *Unus Deus, una fides, unum baptisma.* Si ergo, Paulo teste, unum est baptisma: Quomodo impii Anabaptistæ tria, & quatuor baptismata uni, & eidem conferre præsumunt? Præterea hoc ipsum plenus, & expressius confirmat Paulus in ea quæ est ad Romanos epistola, cap. 6. *An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris: ita nos in novitate vitæ ambulemus.* Hæc Paulus ibi. Ex quibus & aliis ejusdem loci verbis patet baptismum esse velur quandam mortis Christi figuram, sicut enim in morte Christi peccatum mortuum est: ita & in baptismo etiam peccatum nostrum perit, per meritum tamen passionis ejus. Cum autem ex aqua emergimus, resurrectionem Christi figuramus. At Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, non autem bis, aut ter: ergo etiam nos pro peccatis nostris semel tantum baptizari oportet. *Christus etiam resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: ergo & nos ex aqua semel emergeri, non oportet ad aquæ lavacrum iterum redire.* Impii ergo Anabaptistæ, qui rebaptizare præsumunt, rursus sibi bimetipsis (ut ait Paulus Heb. 6.) *recrucifigunt Filium Dei.* Nam de illis expresse loquebatur Paulus, & non de aliis. Qui enim secundo baptizatur, quantum in ipso est, secundo etiam Christum cruci affigit: quoniam cum baptismus figura sit quædam mortis Christi, qui secundo baptizatur, hoc ipso ostendit Christum secundo mortuum fuisse. Rarus hoc ipsum sacrorum Conciliorum definitiones confirmant. Nam in symbolo edito à Concilio Nicæno dicitur: *Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum.* Concilium Carthaginense primum, capite suorum Decretorum primo sic ait: „ *Gratus Episcopus Concilio præsidens dixit: ergo si vobis placet, consideremus primum titulum rebaptizationis, unde sanctitatem vestram postulo, ut mentis vestræ placita producatis ad descendentem in aquam, & interrogatum in Trinitate, secundum Evangelii fidem, & Apostolorum doctrinam, nam, & confessum bonam conscientiam in Deum de resurrectione Jesu Christi, si liceat iterum interrogari in eadem fide, & in aqua iterum tingi. Universi Episcopi cogi dixerunt: Absit, absit. Illicitas esse sanctimus rebaptizationes, & satis esse alienum à sincera fide, & catholica disciplina.* Hæc Concilium Carthaginense. Et Concilium Viennense, sub Clemente quinto celebra-

Z